

ASSERTIO UNICA.

Deus ab aeterno cognoscit omnia absolute futura, tam contingentia quam necessaria, instar praesentium. Et hinc maxime talem in Deo futurorum scientiam convenit vocari scientiam visionis.

VIII.
Cognitio
Divina pro
rebus cog-
noscendis
non expectat
earum tem-
pora, sed
anticipat.

Probatur *primò* ex notione Divinae aeternitatis, ratione cuius uti Deus habet vitam totam simul, ita intelligentiam habet totam simul; vel praesertim quia vita Dei non alia est, quam intellectiva, id est, consistens in intellectu actualissima: atque hinc sequitur cognitionem omnem Divinam talem esse, quae non expectet tempora, sed quae anticipet. Unde jam sic argumentor. Si Deus cognoscit futura omnia absoluta per cognitionem, quae non expectet tempora, sed quae anticipet, cognoscit utique futura illa instar praesentium. Atqui Deus illa cognoscit per cognitionem, quae non expectat tempora, sed quae anticipat. Igitur cognoscit illa instar praesentium.

IX.
Talis est
feg cognitio
hominis, cui
Deus rem
futuram re-
velaret &
exhiberet ut
praesentem.

Cujus argumenti vim constat ex hoc pendere, quòd si cognitio Divina non expectat, sed anticipat tempora, habet sibi praesentia etiam illa tempora, quae sunt ventura: habet itaque similiter sibi praesentia & facta illorum temporum: nam quae ratione habità istorum temporum facienda sunt, habità ratione illorum jam facta sunt. Quid autem aliud est cognoscere facienda tanquam facta, quam cognoscere futura instar praesentium? Atque ut haec veritas magis conspiciatur, elucidari poterit exemplo revelationis, quae Deus non solum praediceret alicui, sed etiam veluti praesentem per species ad id idoneas ostenderet casum alterius ex aliqua turri, licet non futurum, nisi post annos decem. Is igitur cui revelatio illa indulta fuisset, cognosceret casum illum, non utique ut faciendum, sed ut jam factum; non ut futurum, sed ut praesentem: adeo ut quando alter post annos decem reverà caderet, ceteris talem casum intuentibus tunc primum caderet; sed illi non tunc primum, quatenus ante decennium cecidisset.

X.
Atque hinc
intelligitur
quomodo
omnia sic
fuerint ab
aeterno praesentia.

Quare si in hunc modum potest Deus, cui voluerit, praesentere tempora & facta temporum, & sic quae futura sunt representare praesentia, quomodo de omnibus temporibus, & de omnibus factis temporum non cogitabitur illa fuisse ab aeterno intellectui Divino praesentia, sive anticipatè representata; & deinceps